

dulos Judæos a radice Abrahe eosque in ignem mittit; radii vero eidem inseret et inoculabit Gentes in se credentes, juxta illud Pauli, *Rom. xi*: « Si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum cæster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis factus es: noli gloriari adversus ramos; quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo: fracti sunt rami, ut ego inserar; bene, propter incredulitatem fracti sunt. » Merito autem Gentes infideles per lapides, Judæi vero antequam præciderentur, arbori collati sunt; arbor enim vivit et fructificat, dum radici unitur: sic Judæus per fidem futuri vivebat spiritu, antequam per infidelitatem, quia in advententem credere noluit, abscissus est. Hæc Toletus.

Verum Baptista hic tantum incisionem vel potius excisionem Judæorum, non vero insitionem vel inoculationem Gentium in eadem radice Abrahe, puta in eadem fide et Ecclesia, perurgit; inoculatio enim arborum non fit in radice, sed in ramis. Unde Paulus ait: « Fracti sunt rami, ut ego inserar. » Hic autem Baptista ait: « Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur. » Ergo loquitur non de incisione vel inoculatione, sed de excisione qua arbor infrugifera radicibus ex horto exciditur et ejus loco alia frugifera in eodem plantatur. Sic enim Judæi excisi sunt ex horto Ecclesie, qui est quasi prædium Abrahe, et Gentes in eodem a Christo et Apostolis plantatæ sunt, juxta illud quod de eisdem Judæis eorumque Synagoga, per metaphoram ficus infrugifera ait Christus, *Luc. xii. 7*: « Succide illam, ut quid etiam terram occupat? » Judæi ergo radicibus excisi sunt ex horto Abrahe, id est ex Ecclesia, quia fidem que est quasi radix per quam horto Ecclesie infixi erant, perdidit.

11. EGO QUIDEM BAPTIZO VOS IN AQUA IN PENITENTIAM: QUI AUTEM POST ME VENTURUS EST, FORTIOR ME EST, CUIUS NON SUM DIGNUS CALCEAMENTA PORTARE; IPSE VOS BAPTIZABIT IN SPIRITU SANCTO ET IGNI. — Hæc verba non sunt connectenda præcedentibus, nec immediate post ea dicta sunt a Joanne, sed interpolate per occasionem, quam supplet et explicat Lucas, dicens, c. iii. 16: « Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Joannes omnibus, dicens: Ego quidem aqua baptizo vos; venit autem fortior me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. » Populus ergo ex sanctitate vite et fervore prædicationis, atque ex baptismo, suspicabatur Joannem esse Messiam, sive Christum. Nullus enim cæterorum Prophetarum usus est baptismo, nisi Joannes; et Ezechielis, cap. xxxvi, baptismum Christo proprium fore prædixerat: « Effundam, ait, super vos aquam mundam

et mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. » Joannes ergo hanc suspicionem eis eximit negatque se esse Christum, sed Christi ambulonem et indicem se esse profiteretur, summeque baptismum Christi baptismo præcludere, ad eumque preparare significat. Ad ergo:

EGO QUIDEM BAPTIZO VOS IN AQUA. — id est aqua sola. Est Hebraismus. Hebræi enim instrumentum denotant per prepositionem seu litteram *ב*, id est *in*, quam Latini subticent; unde dicunt *במים* *bammajim*, id est *in aqua*, hoc est *aqua*; *in penitentiam*, ut scilicet excitent vos ad agendam penitentiam vosque abluendo corpore prepararem ad abluentionem anime recipiendam in baptismo Christi. Baptismus ergo Joannis erat professio penitentiae. Unde baptizandi in eo confitebantur sua peccata, non autem erat condonatio culpæ; hanc enim expectare debebant a Christo per ejus baptismum, aut per veram animi contritionem.

QUI AUTEM POST ME VENTURUS EST. — Græce *επιερχομαι*, id est *qui venit* in presenti, qui adventat, qui jam imminet nobisque vicinus est.

FORTIOR. — Græce *ισχυροτερος*, id est robustior, potentior, validior, præstantior est, majoribus viribus et dotibus longe me præcellit; pollet enim celesti divinaque vi et efficacia, qua non tantum corpus, uti ego, sed et animam spiritu gratiæ suæ pervadit illamque ab omni scelere expurgat et emaculat. Unde Isaias, cap. ix, inter alia epitheta Christo dat elogium *fortis*: « Vocabitur, ait, nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis. » Vere autem fortis fuit, qui admiranda opera divinitatis suæ operatus est, qui diabolum superavit, prædam de ejus manu abstulit, regnum ejus everit et in se transtulit, cœli portas aperit, mortem absorbit in victoria, peccata delevit, gratiam et gloriam comparavit, inquit Toletus in cap. iii. *Luc.*, 19.

Rursum, Christus Joanne erat fortior in miraculis, quia solo nutu mortuos suscitabat, demones pellebat, ægros sanabat, elementa mutabat, cum Joannes penitentiam carnem domaret, ut eam spiritu subjiceret. Hæc erat virtus Christi et infirmitas Joannis.

CUIUS NON SUM DIGNUS CALCEAMENTA PORTARE. — S. Lucas, cap. iii. 16: « Cuius non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere; » Marcus, cap. i. 7, addit *procumbens*. Utrumque est verum, utrumque est vile ministerium servorum, qui herum suum, præsertim principem, procumbendo ad ejus pedes calceant et excalceant, ac ejus calceos portant, cum ipse ocreas aut crepidas induit. Joannes ergo fatetur hic « esse Christi servum et mancipium, Christum vero esse suum Dominum, imo Deum. Mystice: calcus notat humanitatem Christi, cui ut serviat, ut eamque humeris bajulet, vel manibus sustineat, Baptista se indignum profiteretur; hæc enim humanitas ex unione cum Verbo summe et quasi immensa

Calceus humanitatem Christi notat.

erat dignitatis et majestatis. Unde S. Bernardus: « Calceus, inquit, humanitatis nostræ calceata fuit Verbi majestas; » quia enim calceamenta in extrema corporis parte sunt, et ex mortuis fiunt animalibus, ideoque, juxta S. Gregorium et S. Hieronymum in cap. i. *Marc.*, 7, recte significant incarnationem Christi, quam se explicare non posse, nec ad hoc dignum esse hic confitetur S. Joannes. Theophylactus per calceamenta accipit Christi descensum in terram, et post mortem in limbum Patrum. Tropologie: Joannes humilians se infra pedes et calceos Christi, per hanc humilitatem meruit exaltari super caput Christi illudque abluere et baptizare.

IPSE VOS BAPTIZABIT IN SPIRITU SANCTO. — Id est Spiritu sancto, q. d. Christus Spiritum sanctum cum omnibus suis donis in vos effundet ita copiose, ut eo vos a peccatis omnibus abluat, ac gratia et charitate, cæterisque charismatibus suis impleat et quasi obruat. Fecit hoc Christus visibiliter in Pentecoste. Unde ipse ascensus in cœlum, ad hæc verba Joannis alludens idipsumque promittens Apostolis, ait: « Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies. » *Act. i. 7*. Invisibiliter vero id facit in sacramento baptismi et confirmationis, que baptismi quasi est perfectio et consummatio. Antithesis ergo Joannis et Christi est, quod Joannes solum baptizavit aqua, Christus vero aqua et Spiritu sancto; quodque Joannes corpus, Christus animam abluat: quantum ergo Spiritus sanctus aquam, ac anima corpus antecellit, tantum præstat baptismus Christi baptismo Joannis, qui tantum fuit rudimentarius. Ita Concilium Tridentinum, *Sess. VII*, can. 1, et passim Patres, quos citat Bellarminus, tract. *De Baptismo*, cap. xxi. Hinc Doctores triplicem assignant baptismum: fluminis, fluminis et sanguinis. Fluminis est, cum quis aqua baptizatur; fluminis sive spiritus est, cum quis catechumenus in carcere vel eremo, ubi non est aqua, de peccatis vere contritum optatque baptizari: talis enim justificatur per contritionem que includit votum baptismi; sanguinis est, cum quis necdum baptizatus, pro fide martyri occumbit; hic enim in suo sanguine baptizatur et ab omnibus peccatis abluitur.

Baptismus fluminis et sanguinis.

SPIRITU SANCTO ET IGNI. — Ita constanter habent Græcus, Latinus, Syrus, Arabicus, Persicus, Ægyptius, Ethiopius. Sensus est, q. d. Baptista: meus baptismus est aqueus, Christi vero est igneus; quantum ergo ignis efficacior est aqua, tantum baptismus Christi potentior est neo. Hinc heretici dicti Hermiani et Seleuciiani baptizabant suos non aqua, sed igne, teste S. Augustini, *hæres. 39*. Dignus sane heresi et hereticis fuit igneus hic baptismus, digna talibus tortoribus carnificina: jam non est quod ipsi quaerantur hæreticos a Catholicis igne comburi, cum ipsimet suos igne baptizent.

Quæres, quis hic ignis? *Primo*, Origenes, homil. 23 in *Lucam*, accipit ignem purgatorii, q. d. Christus suos fideles cum peccatis venialibus decedentes expiabit igne purgatorii, juxta illud: « Uniuscujusque opus ignis probabit. » Et: « Salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » *I Cor. iii*. Sic quoque ex S. Hieronymo, Beda et Suarez.

Secundo, S. Hilarius per ignem accipit iudicium Christi, quod acre, clarum et horridum erit instar ignis.

Tertio, S. Basilius, in cap. iv *Isaie*; Damascenus, lib. iv *De Fide*, cap. x, et Toletus, in cap. iii *Luc.*, vers. 16, accipiunt ignem gehennæ, quo reprobus Christus punit in inferno; unde explicans subdit: « Paleas autem comburet igni inextinguibili. »

Quarto, Auctor *Imperfecti* per ignem intelligit tribulationes quibus quasi igne fideles suos affligit et a peccatis abluat Christus.

Quinto et genuine, « Spiritu sancto et igni, » hoc est Spiritu sancto igneo et ignente; Spiritu sancto qui est ignis, id est qui est similis igni et quasi ignis urit et ignit. Est hendiadys, Spiritus sanctus enim quasi ignis fideles a peccatis expurgat, illuminat, accendit, sursum ad cœlum rapit ac roborat, ut omnia adversa superent. Denique eos intime sibi unit et quasi ignis in se tranformat. Hinc enim sunt dotes ignis, purgare, tenebras expellere, lucere, inflammare, sursum rapere, roborare, in se transformare. Hinc in Pentecoste in Apostolos illapsus est Spiritus sanctus per speciem ignis et linguarum ignearum. Unde S. Chrysostomus: « Ignis, ait, commemoratione adjuncta Spiritus sancti efficacitatem signavit, gratia ipsius robor vehementer et invictum. » Sic et Euthymius ac interpretes Ethiopici per ignem accipiunt Spiritum sanctum. Hinc in primitiva Ecclesia sæpe Spiritus sanctus visibilis specie ignis descendebat in baptizatos et confirmatos, ut significaretur plena purgatio peccatorum; item ignea charitas ignique sermones quos eis inspirabat Spiritus sanctus, juxta illud, *Deuteronom. vi. 24*: « Deus tuus ignis consumens est. » Et illud, *Jerem. xxii. 29*: « Numquid non verba mea sunt sicut ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? »

Denique duodecim baptismatum genera sive species, Scriptura colligit ex Damasceno, S. Athanasio et aliis. Toletus, in cap. iii *Lucæ*, annot. 31.

CUIUS VENTILABRUM IN MANU SUA, ET PERMUNDA- BIT AREAM SUAM, ET CONGREGABIT TRITICUM SUUM IN HORREUM: PALEAS AUTEM COMBURET IGNI INEXTINGUIBILI. — Ventilabrum est vannus (vel ut Romæ eribrum) quo agricolæ segetes trituratas ex spicis excussas evanant, ventilant et in ventum jactant, ut paleis a vento abreptis, sola frumenti grana pura et a paleis separata remaneant. Græce dicitur *πτερον*, quod paleas quasi expuat: *Luc. iii.*

enim est *expuo*. Ventilabrum representat Christi iudicium et potestatem iudicariam; sicut enim ventilabro triticum a palea seceratur, sic Christus in iudicio bonos a malis separabit: bonos enim a dextris statuet, malos a sinistris; bonos caelo, malos tartaro adjudicabit. Area non tam locum quam frumenta, puta segetes in area collectas significat; hæc enim mundantur, ut palea a tritico separatur. Est metonymia; ponitur enim continens pro contento. Area ergo notat Ecclesiam sive cœtum fidelium.

Ventilabrum est iudicium Christi.

Igitur ventilator est Christus Judex, ventilabrum est ejus iudicium, quo singulorum cogitata, dicta factaque ventilabit et examinabit, ac bona bonosque a malis secernet. Area est Ecclesia; palea sunt impii, quos Christus comburet igne gehennæ; triticum sunt iusti et sancti, quos Christus colliget in suum horreum, id est in regnum colorum, ut iis quasi tritico pascat et oblectet S. Trinitatem, omnes Angelos totamque Ecclesiam triumphantem.

Assurgit Joannes a primo gratiæ adventu Christi ad secundum iudicii; tum enim omnino permutabit aream, id est Ecclesiam suam, idque ut Sadducæos et Phariseos hoc iudicii et gehennæ terrore concutiat et ad penitentiam adigat. Porro instare et vicinum esse hoc iudicium significat, cum ait hoc ventilabrum esse in manu Christi, ut scilicet illico eo segetes eventilet et palea a tritico, id est malos a bonis sequestret: ita S. Ambrosius, in cap. m. *Luc.*, 47; licet enim asque ad hunc iudicii multi supersint centeni anni, tamen hi omnes, si cum æternitate comparantur, modicum et quasi nihil sunt. Adde, Christus Dominus et Judex in manu sua habet cuiusque spiritum, animam et vitam, ut eam illico tollat, si velit, iudicet, beet, damnet et in cœlum vel gehennam mittat.

PALEAS (quanto magis zizania) AUTEM COMBURET IGNI INEXTINGUIBILI. — Impii et damnandi vocantur palea, quia ut palea sunt levissimi, vilissimi, inutilissimi et ad nihil fere utiles, nisi ad ignem, ut scilicet sint folles et fomenta gehennæ. Pro *inextinguibili*, Græce est *ἀσβεστόν*, id est *inextincto*, hoc est æterno. Hinc asbestus lapis dicitur, qui semper ardet et non extinguitur: est misis; parum enim dicitur, et plus significatur. Ignis enim gehennæ dicitur *ἀσβεστόν*, id est *inextinguibilis*, non tantum quod extingui nequeat, sed et quod homines impios urendo non extinguat, imo eos perpetuo viventes jugiter cruciet et urere pergat. Damnatur ergo hic error Originis, qui putavit pomas inferni non fore perpetuas, sed post magnum Platonis annum (quo

Ignis omnia renovabuntur) finiendas. Rursum *zizania* Græce, id est *inextincto*, hoc est *inextinguibili*, notat ignem gehennæ non consumere vel incinerare corpora damnatorum, nec fomenta carbonum vel lignorum illi suggeri; que enim posset esse materia tanta, ut sufficeret ad alen-

dum eum per totam æternitatem? sed ignem illum eundem omnino numero in eodem sulphure et iisdem corporibus a Deo conservari, ut eae præsertim urat et nunquam comburat.

Alludit ad cap. LXVI *Isaia*, 24: «Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur.» Et cap. XXXIII, 14: «Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?» Vide ibi dicta. Exempla dat S. Chrysostomus: «Nonne, ait, cernis solem istum semper ardentem et nunquam prorursus extinctum? (multi enim censent solem esse ignem) non legisti (*Exodi* III) incensum rubrum, nec tamen ipso incendio concrematum?» Et S. Augustinus, lib. *Contra Donatistas*, post collationem, cap. IX: «Jam satis, ait, superius disputavi posse animalia (que inde pyrausta nominantur) etiam in ignibus vivere, in ustione sine consumptione, in dolore sine morte per miraculum omnipotentissimi Creatoris, cui hoc possibile esse qui negat, a quo fit quicquid in naturis omnibus miratur, ignorat.»

Cogita et horresce hunc ignem gehennæ, quem nullæ aque, nullæ lacrymæ, imo omnia flumina, omnes abyssi, omnia maria in unum collecta, omnes demones, omnes creature totis viribus suis non possunt extingueri, imo nec vel tantillum minuire: «Quia flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.» *Isaia*, c. XXX, 33.

13. TUNC VENIT JESUS A GALILEA IN JORDANEM AD JOANNEM, UT BAPTIZARETUR AB EO. — *Tunc*, oportune scilicet, cum Joannes Christum predicaret sibi que præferret, dicens se non esse dignum ejus calcamenta portare, cumque omnes excitaret ad penitentiam et baptizando præpararet ad gratiam a Christo accipiendam, *tunc*, inquam, supervenit Christus, ut quem absentem commendaret, presentem indicaret et digito ostenderet: sicut lucifer præit et ostendit solem orientem.

A GALILEA — scilicet a *Nazareth*, ait Marcus, cap. I, 8, patria sua, ubi cum matre hucusque privatus vixerat et cum patre Josepho artem fabrilem exercuerat usque ad annum ætatis trigesimum. Unde illo jam expleto adiit Joannem, ut ab eo declararetur Messias, hoc est orbis doctor et redemptor, utque publicum hoc docendi et legem Evangelicam instituendi officium, ad quod a Patre missus erat, habito a Joanne testimonio, inchoaret. In *Jordanem*, hoc est ad Jordanem, dum baptizaretur, non verbis, sed facto instituisse baptismi sacramentum, ut esset omnium peccatorum lavacrum; nam tum apparuit tota S. Trinitas, quam in forma baptismi profitemur, dicendo: «Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.» Pater enim apparuit in voce, Filius in Jordane, Spiritus sanctus in forma columbæ. Verius tamen est Christum, dum baptizaretur, designasse tantum suum baptismum ejusque materiam, scilicet aquam; cum vero paulo post, dum cepit præ-

secundo. Impletur; secundo, ut baptismale suo Joannis baptisma comprobaret; tertio, ut Jordanis aquas sanctificans per descensionem columbæ, Spiritus sancti in lavacro credentium monstraret adventum.»

Quarta causa est, ut Christus Joanni auctoritatem adderet ejusque baptismum, cui nonnulli detrahebant, probaret, ait Beda: itaque vicissim majoris auctoritatis testimonium ab eo acciperet, ut scilicet Joannes eum verum esse Messiam omnibus ad se confluentibus ostenderet, juxta id quod ipse ait: «Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans,» *Joan.* I, 31, utque homines ad penitentiam invitando per baptismum suum præpararet et assuefaceret ad baptismum Christi, ut innuit hic, vers. 11.

Quinta est, ut in baptismo Spiritus sanctus specie columbæ in Christum descenderet, et Pater de caelo intonans: «Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui,» ipsi irrefragabile testimonium perhiberet. Ita S. Hieronymus.

Sexta est, ut Christus, baptismum a Joanne suscipiens, suo exemplo omnes ad suum baptismum alliceret et fructum ejus ostenderet, scilicet Spiritus sancti donationem et illapsum.

Septima, Christus in se peccata nostra suscepit, ergo quasi reus et penitens Joanni se sedit, ut ab eo baptizatus, in se quasi luat et abluat peccata nostra. Unde Nazianzenus, orat. in *sancta Eumbaria*: «Joannes, ait, baptizat, et accedit Jesus sanctificans quidem et ipsum qui baptizat, præcipue tamen ut et veterem Adam sepiat in aquis.» Et mox: «Ascendit Jesus de aqua, secum quodammodo demersum educens et elevans mundum.» Hic humiliando se coram Joanne meruit Christus, ut nos doceret, ei qui animarum lucro studet, viam prius sternendam esse per multiplicem humiliationem.

Octava, ut Christus, qui novam Christianorum rempublicam condere decreverat, et ipse princeps baptizatus, ut sic per omnia fratribus assimilaretur absque peccato. Celebre est illud Catonis: «Patere legem, quem ipse tuleris.»

Nona, ut sicut Abraham olim veteris Synagoga Jussu Dei symbolum instituit circumcisionem: sic Christus novæ Ecclesiæ novam tesseram daret sanctiæque baptismum. Quocirca S. Thomas, III part., *Questione* LXVI. articulo 2, censet Christum, dum baptizaretur, non verbis, sed facto instituisse baptismi sacramentum, ut esset omnium peccatorum lavacrum; nam tum apparuit tota S. Trinitas, quam in forma baptismi profitemur, dicendo: «Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.» Pater enim apparuit in voce, Filius in Jordane, Spiritus sanctus in forma columbæ. Verius tamen est Christum, dum baptizaretur, designasse tantum suum baptismum ejusque materiam, scilicet aquam; cum vero paulo post, dum cepit præ-

Christi baptismi quando instituitur?

dicare publice, instituisse, ut docet Suarez et alii plures: quare non videtur eum instituisse, dum Nicodemæ secreto et nocte ad se veniens dixit: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.» *Joan.* III, 5. Hæc enim secreta fuit ad unum Nicodemum Christi vox; publicum autem baptismi sacramentum publice fuit instituendum et promulgandum. Indicatus ergo duntaxat a Christo fuit hic baptismus, mox a se conceptis verbis in publica populi concione et cœtu instituendus. Ex hoc est quod dicere voluit S. Chrysostomus hic; S. Augustinus, sermone 36 et 37 *De Tempore*; S. Gregorius Nazianzenus, orat. in *S. Nativitate*, et alii, dum adiunt Christum suo baptismum aquas sanctificasse et contactu corporis vim regenerativam eis indidisse, non quasi aquis indidisset qualitatem physicam, sed moralem, quia scilicet tunc ipso facto ex intentione Christi deputatæ et designatæ sunt aquæ ad sanctificandum homines eis abluendis in baptismi sacramento mox a Christo instituendo.

Tropologie: Christus suo baptismi hoc nos docere voluit viam sanctam et perfectam inchoandam a baptismi, id est a penitentia, lacrymis et purificatione affectuum, idque maxima facere debere eos qui alios baptizare, id est purificare, convertere et sanctificare destinant, ut sint doctores et predicatores.

14. JOANNES AUTEM PROHIBEBAT EUM. — Agnovit Joannes Christum ex privato Dei instinctu et revelatione, per quam Christum videns, facie tenuis agnovit, quem ante triginta annos infantem latentem in utero matris, latens et ipse in ventre suæ genitricis per mentem et spiritum agnoverat, salutarat et exultarat. *Luc.* I, 41.

Dicas, quomodo ergo, *Joan.* I, 33, Baptista a Deo datur signum quo Christum agnoscat, scilicet descensio et mansio Spiritus sancti super eum? Respondetur hoc signum Baptista dari, non ut primo Christum cognoscat, sed ut illo plenus se in hac cognitione fideque confirmet, utque eodem quasi certo Dei testimonio Christum populo ostendat et commendat.

DICENS: EGO A TE DEBEO BAPTIZARI, ET TU VENIS AD ME? — Pro *debeo*, Græce est *χρῆζω τῷ*, id est opus habeo, indigeo a te baptizari, id est spiritualiter abluam a levibus peccatis tuoque spiritu et gratia perfici: non ergo significat debitum præcepti, quasi Baptista obligatus fuerit suscipere baptismum Christi. Hoc enim præceptum baptismi Christi editum et promulgatum fuit a S. Petro post mortem Baptiste et Christi in Pentecoste. Hinc tamen nonnulli colligunt Baptistam paulo post a Christo fuisse baptizatum, sicut ab eodem baptizata fuit B. Virgo, S. Petrus, Jacobus, Joannes cæterique Apostoli, uti testatur S. Eusebius, qui S. Petro in cathedra Antiochena successit, epistola que inscribitur *Τὸ πρῶτον*, id est *Christus non solum*

Joannes baptizatus a Christo? non solum?

cepit baptizatum a se institutum. Cur?

baptizari, quia ipse quasi hierarcha baptismum instituit quasi peccati remedium, ac sui suæque Ecclesie notam et characterem. Ita D. Thomas, Suarez et alii passim, tract. *De Baptismo*.

Favent huic sententiae Nazianzenus, orat. 39, versus finem: « Sciebat Christus, ait, paulo post futurum, ut ipse Baptistam baptizaret, » item et S. Chrysostomus, qui dicitur Joannem baptizasse Christum aqua, Christum vero baptizasse Joannem spiritu. Unde Auctor *Imperfecti hie, homil. 4*: « Dum, ait, Joanni dicenti: Ego a te debeo baptizari, respondit: Modo interim sine, ostendit, quia postea Christus baptizavit Joannem, quamvis in secretioribus libris manifeste hoc scriptum esset: Joannes quidem baptizavit illum aqua, ille autem Joannem in spiritu. »

Dici posset tamen Christum baptizasse Joannem spiritu, non in sacramento baptismi, sed spiritu, id est spiritualiter, quia majorem spiritus copiam ei infudit fecitque ut in gratia et charitate valde proficeret. Unde Abulensis hic, in c. III *Matth.*, Q. LXXVIII, censet Joannem non fuisse baptizatum a Christo, idque probat ex admiratione discipulorum Joannis, qui paulo post nuntiaverunt Joanni Christum, cui Joannes testimonium perhibuerat, baptizare, et omnes ad eum venire. *Joan.* II, 26. Hoc enim frustra illi nuntiasent, si Joannes jam a Christo baptizatus erat, idque sane eis Joannes respondisset: nisi dicas, post hoc discipulorum nuntium, Joannem a Christo petisse baptismum, ut pariter discipulos suo ad Christum ejusque baptismum adduceret. Itaque res manet dubia, adeoque problema est, an Joannes baptizatus fuerit a Christo, an non?

VERS. 15. 15. RESPONDENS AUTEM JESUS, DIXIT EI: SINE MODO (permittit me nunc baptizari a te), SIC ENIM DECET NOS IMPLERE OMNEM JUSTITIAM. — Nos, scilicet me suscipiendo, et dando baptismum. Alii, q. d. nos, id est quotquot aliorum magistri sumus, decet eos præire exemplo. Nihil quantumvis leviculum est prætereundum: Instituire volo baptismum; præcipiens est quod præcipit præ aliis adimplere. Unde de Christo ait Lucas: « Cæpit Jesus facere et docere. » *Actor.* I, 4. « Hec est justitia, » ait S. Ambrosius, lib. II in cap. II *Luca*, cap. ultimo, « ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteri exemplo. » Unde S. Gregorius, lib. XXI *Moral.*, cap. 1: « Ex humilitate, inquit, vera secunda semper auctoritas nascitur. »

Porro, non solus Christus recipiens, sed et Joannes conferens ei baptismum, implebat omnem justitiam, tum quia contentens de humilitate et humili baptismi susceptione cum Christo, sinebat se ab eo vinci, uti par erat: unde victus a Christo humilitate, vincebat quasi Christum obedientia, cedendo et obediendo ei; sicut S. Dominicus volens dare dexteram S. Francisco, cum ille plane obstiteret et occuparet sinistram, ei dixit: « Tu me vincis humilitate, ego te vincio

obedientia, » quia tibi cedo et obedio: tum quia Joannes rem valde sanctam, puta baptismum penitentiae exercebat, ut homines prepararet ad gratiam Christi; tum quia cooperabatur summæ humiliationi Christi, dando ei baptismum quem ipse posebat, et a nullo alio, quam a Joanne accipere poterat; tum quia causa fuit, ut Christus a S. Trinitate declararetur esse Filius Dei; hoc enim factum est in baptismo. Verisimile quoque est Joannem in ipso baptismo Christum populo demonstrasse; cum enim forma baptismi Joannis fuerit hæc, aut similis: « Baptizo te in nomine ejus qui venturus est. » Vel: « Crede in Messiam jamjam venturum. » ut colligitur cap. XIX, 4, videtur quod Christo veniente et baptismum recipiente, dixerit: « Hic est Messias quem venturum dixi; » que omnia erant sanctissima, ut merito Joannes quoque dicatur hic implese omnem justitiam.

Rursus S. Hieronymus inquit: « Pulchre dixit: Sine modo, ut ostenderet Christum in aqua Joannem a Christo in Spiritu baptizandum. » Et mox: « Tu me baptizas in aqua, ut ego te baptizem pro me in sanguine tuo, » q. d. Tu me baptizas baptismum fluminis, ego te baptizo baptismum flammis et sanguinis.

SIC ENIM DECET NOS IMPLERE (Arabibus, perficere) OMNEM JUSTITIAM. — *Primo: omnem justitiam*, Syrus: *omnem rectitudinem*, hoc est quidquid justum est, rectum, sanctum et Deo gratum; nec quidquam tale recusare, etiamsi humile sit et abjectum, nec una lege cautum, sed consilium duntaxat sit, non præceptum, quale hic est, ut ego Christus baptizem a te, o Joannes, qui es servus et creatura mea: omnis ergo justitia est quælibet virtus, sanctitas et perfectio. Rursus *omnem justitiam*, id est quidquid præcepit Deus Pater, ait Vatablus. Justum enim est quod Deus sancit et præcipit. Videtur enim Deus Pater Christo, uti moriendi, sic et baptismum a Joanne suscipiendi præceptum dedisse.

Hinc *secundo* Glossa: Omnis justitia, inquit, est humilitas, que se omnibus, id est superioribus et aequalibus, æque ac inferioribus subjicit. Ex adverso omnis injustitia est superbia, qua quis non modo inferioribus et paribus, sed et superioribus se præponit. Jus enim et subjectionem eis debitam admittit. Sicut enim in omni actu justitie, id est virtutis intervenit humilitas, qua quis rationi et virtuti se submittit; sic in omni actu peccati miscet se superbia, qua quis rationi, legi et voluntati Dei se suamque voluntatem et cupiditatem antepont. Humilitas ergo implet omnem justitiam, quia solvitur, uno superat omne jus et debitum, quod homo debet Deo, proximo et sibi. Deo enim se subjicit per religionem, proximo per charitatem, corpus animæ, animam legi Dei. Quocirca humilis cum omnibus pacem habet, superbus cum omnibus dissidium et bellum. Quot hodie sunt dissidia et lites, etiam

inter clericos et Prælatos, de loco, de titulis, de præcedentia, quam utraque pars sibi debere perfinaciter contendit cum scandalo laicorum, et nullo vel exiguo victorie lucro? Quid enim lucraris, si litem vincas, nisi exiguum et inane honoris punctum? et interim longe majorem famæ, pacis et sæpe conscientie jacturam facis. Disce, o Christiane, a Christo hie, cedere, imo et ambire locum inum, sic cum Christo exaltaberis et mereberis summum. Christus enim subdens se Joanni, ab eo, imo a tota S. Trinitate declaratus est esse major Joanne, imo Filius Dei. Dic ergo cum Christo: « Sic nos decet implere omnem justitiam, » quam imitatus S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, aureum hoc axioma dedit:

Nullo vel minimo quavis ratione repugnes, Cedere te potius, quam superare juvet.

Humilitas est honor Christiani.

Decet enim, honor et gloria Christiani est humilitas, puta cedere, sinere se vinci, primas alteri dare: quare major est, qui est humilior, qui cedit, qui alterum sibi preferat. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. III *Moral.*, cap. XII: « Malorum locus est superbia, bonorum locus est humilitas. » Docet ergo hic nos Christus sequi vitam communem, non querere exemptiones a communi lege et more, haberi ut unus de vulgo, juxta illud: « Si sis egregius, esto quasi unus e grege; » imo ad ima descendere, et omnibus se supponere, juxta illud, *Eccles.*, cap. III, 20: « Quanto magnus est, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solus et ab hominibus (humilibus) honoratur. » Vide ibi dicta.

Tertio: omnem justitiam, id est summam justitiam. Sic, *Exod.* XXXIII, 19, ait Deus Mosi: *Ostendam omnem*, id est summum bonum, scilicet meipsum, tibi: ima enim justitia est, subdere se suo superiori; media, subdere se æquali; summa, subdere se inferiori, uti Christus subdidit se Joanni: Christus, inquam, qui est Sanctus Sanctorum, inclinavit caput Joanni ad baptismum, quasi petens ab eo purificationem et sanctificationem velut peccator et penitens, sicut erant ceteri qui posebant baptismum a Joanne. Præclare S. Gregorius, III part. *Pastor.*, admonit. XVIII: « Audiant, inquit, humiles, quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; audiant elati, quia initium omnis peccati superbia est. Audiant humiles, quia redemptor noster humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; audiant elati, quod de eorum capite scriptum est: Ipse est Rex super universos filios superbie. Occasio igitur perditionis nostræ facta est superbia diaboli, et argumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. » Et paulo post: « Dicitur ergo humilibus, quia dum se dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt: dicitur elatis, quia dum se erigunt, in apostatæ Angeli imitationem cadunt. Quid

igitur elatione dejectus, que dum supra se tenditur, ab altitudine vere celsitudinis elongatur? Et quid humilitate sublimius, que dum se in ima deprimit, auctori suo manenti super summa conjungit? »

Idem alibi: Hæc, ait, est summa justitia et sanctitas, si virtutis merito summi, humilitatis simus infimi. S. Thomas Aquinas (ut in ejus Vita inter ejus axiomata referatur) rogatus quo indicio vere sanctus et perfectus dignosci possit? respondit *humilitate*, contemptu sui, contemptu honoris et laudis, tolerantia ignominie et viluperii. « Si enim, ait, videris aliquem, dum negligitur, contemnitur, postponitur, dare sensum doloris vel indignationis, dejicere vultum, nasum contrahere, rugare frontem, scito hunc non esse sanctum, non esse magnum, etiamsi sis miracula faceret. Ostendit enim in sui neglectu suam superbiam, tristitiam, iram, impatientiam, ac proinde vilem se facit et contemptibilem. Ex adverso humilis, qui gaudet suo contemptu, dignus est qui ab omnibus laudetur et glorificetur. »

Quarto: omnem justitiam, id est omne incrementum justitie, id est virtutis et sanctitatis: Christus enim, licet interius in gratia crescere non posset, erat enim ea plenus a primo instanti suæ conceptionis et unionis cum Verbo, tamen exterius quotidie majora virtutum signa edebat, ac magis magisque se humiliabat. Christus enim e caelo descendit in utero Virginis, ex utero in præsepium, e præsepio in Jordanem, e Jordane in crucem, ut nos doceret illud; *Psal.* LXXXIII, 8: « Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. » Sic B. Theresia faciebat omnem justitiam, quia in qualibet re faciebat id quod justus, sanctus, perfectus et Deo gratus erat, imo ad hoc voto se abstrinxit. Quocirca S. Augustinus, epist. 36 ad *Dioscorum*: « Huic (Christo et Christiane disciplina), inquit, te, mi Dioscore, ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad expessandum et obtinendam veritatem viam munias, quam que munita est ab illo qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicere. » Et post nonnulla: « Itaque scit rhetor nobilissimus (Demosthenes), cum interrogatus esset quid ei primum videretur in eloquentie præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse; cum quereretur quod secundo, eandem pronuntiationem: quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: si interrogares, et quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem, liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret. Huic humilitati saluberrimam, quam Dominus noster Jesus Christus ut doceret humilitatis est; huic, inquam, maxime advesatur quædam, ut ita dicam, imperitissima scientia. »

Quo indicio sanctus aliquis seu perfectus dignoscatur?

Denique quinto implet omnem justitiam, qui honore omnes prevenit, qui aliorum mores difficiles, molestos sibi que injurios tolerat, juxta illud Pauli : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Galat. vi. Item qui amat odientes se, benedicit maledicentibus, beneficit malefactoribus sibi, qui laudat detrahentes sibi, qui honorat sperantes se, qui charitatis ardore vincit inimicos eosque facit amicos, qui injurias ulciscitur beneficiis, qui cum Paulo optat esse anathema pro hostibus suis, Roman. ix, ac omnibus omnia fit, ut omnes Christo lucrifaciat, I Cor. ix, 22. Hæc omnia docuit et prius fecit Christus.

Tunc dixit eum, — id est, hoc audito, cessit Joannes Christo petenti baptismum eumque baptizavit : « Ut si Deus ab homine accepit baptismum, nullus a conservo dedignetur accipere, » ait S. Hieronymus. Et S. Ambrosius, lib II in Lucam, cap. ult. : « Nemo refugiat lavacrum gratiæ, quando Christus lavacrum penitentia non refugit. » Pulchre S. Bernardus, serm. 1. De Epiph. : « Acquivit, ait, Joannes, et obedivit; baptizavit Agnum Dei, et aquas lavit: nos abluti sumus, non ille, quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur abluta. »

Porro diem qua Christus baptizatus est, fuisse Dominicum tradit S. Augustinus, serm. 154 De Tempore, licet Joannes Lucidus, lib. VII, cap. II, censent Christum baptizatum feria sexta. Ceterum quasi est ex traditione Christum baptismum esse die sexta januarii, eadem scilicet qua ante triginta annos adoratus fuerat a Magis. Unde Ecclesia eadem die memoriam baptismi Christi recolit. Quocirca Æthiopes die 6 januarii, in memoriam baptismi Christi, aquis se non tantum aspergunt, sed et penitus immergunt. Fideles quoque in Græcia circa mediam noctem, qua diem sextam antecedit, aquas ex obvio fonte vel fluvio hauriebant, quæ Dei dono multis annis incorruptæ manebant, ut expresse testatur S. Chrysostomus, homil. De Baptismo Christi, tom. V operum Græcorum. Addit S. Epiphanius, hæres. 51, illa die Nilum in vinum verti : « Circa ipsam undecimam (mensis Tybi, qui est sextus nostri januarii) post annos triginta factum est primum signum in Cana Galilæe, quando aqua facta est vinum. Quapropter etiam in multis locis usque in hanc diem hoc fit, quod tunc factum est, divinum signum in testimonium ineredulis, velut testatur in multis locis fontes ac fluvii in vinum conversi : ut Cibyres quidem urbis Carie fons, qua hora hauserunt ministri, et ipse dixit: Date amittitellino; testatur et in Gerasa Arabiæ fons similis. Nos bibimus de Cibyres fonte: fratres vero nostri de eo qui est in Gerasa, in Martyrum templo. Sed et multi de Nilo hoc testantur. » Tres ergo aquas nominat, quæ dicto festo in vinum versantur: primam, fontem Cibyres, recendam, fontem in Gerasa; tertiam, Nilum. Cuius igitur tres isti fontes visoso sapore

Christus baptizatus die 6 januarii.

Mes et epiphanius verum in vicinia Epiphaniae.

Fontes festo in vinum versantur: primam, fontem Cibyres, recendam, fontem in Gerasa; tertiam, Nilum.

nunquam fluxerint nisi hæc die, manifestum fit hoc miraculum non esse patrum, nisi ad recollendam memoriam vini ex aqua a Christo in Cana Galilæe producti, ait notus Greterus in *Curiositate*, pag. 236 et seq., qui cum S. Epiphonio opinatur Christum in Cana aquam in vinum vertisse die sexta januarii; alii enim alia die id factum putant, ut dixi in Chronotaxi Monotessari.

Quin et Jordanis aquam a Christi in ea baptismi donum incorruptionis accepisse, docet ibidem Greterus : « Adamus et hoc, inquit, aquam Jordanis, postquam eam Christum contacta et baptismi suo consecravit, incorruptionis munere donatam esse. » Id asserit illustrissimus princeps Nicolaus Christophorus Radzivilus in suo *Hodopario Hierosolymitano* : « Aquam, ait, valde turbidam Jordanis habet, sed salubrem, quæ in vase asservata nunquam corrumpitur, prout in ea quam attuli mecum, indubitanter sum expertus. »

Rursum videtur Christus a Joanne non solum baptizatus et ablutus in capite, sed et in reliquo corpore, tum quia hic erat ritus Judæorum, et etiamnum est; tum quia totum corpus aquis purificare debebant, ut singula membra quæ peccarent, abluerent; utque totius anime omniumque ejus peccatorum purificationem representarent. Spoliabant ergo se vestibus, et nudi baptizabantur; Jesus ergo dignatus est se nudare coram Joanne, et hanc reverentiam quam casti erubescunt, pro nobis subire — ut Ade nostramque nuditatem reverentiamque peccato inducunt, sua gratia velaret et vestiret. Unde et ecclesia eodem loco ubi vestes Christi repositæ fuere cum baptizaretur, erecta est a fidelibus, teste Beda, *De Locis sanctis*, cap. xii, qui et addit quod ille locus apud Jordanem, in quo baptizatus est Christus, nobili monasterio et ecclesia in honorem Joannis Baptistæ dedicata, illustratus sit. De eodem ita scribit Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Martyrum*, cap. xvii : « In Jordane habetur locus in quo Dominus baptizatus est. In uno etenim reflexu aqua ipsa revolvitur, in qua nunc leprosi mundantur. Cum enim advenerint, sæpius lavantur in flumine donec ab infirmitate purgentur; de publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt; sanati autem ad propria discedunt. Ipse quoque Jordanis ab eo loco in quinto milliario mari commixtus Mortuo, nomen amittit. »

In eodem loco Christum post baptismum sæpius visitasse S. Joannem ibidem baptizantem, tradit Joannes Moschus in *Prato spiritus*, cap. I. Porro Christus in Jordane baptizatus est a Joanne in Ennon juxta Salim, Joan. iii, 22 non longe a Sarthan et Jericho, ubi filii Israel, huic Josue, sicco pede transierunt Jordanem a Domiraculose divisum, Josue iii, 16 et 17, ut significaretur eundem Christum, qui olim Hebræos per Jordanem

Artem Jordanis a Christi baptismi non corrumpitur.

Christus toto corpore ablutus.

Tropium in loco ubi Christus baptizatus est.

Quomodo celi christo aperti.

desuxerant in Terram promissam, fideles suos et Christianos per baptismum pari modo deducturum in cælum. Unde « sicut duce Josue, aquæ Jordanis retrorsum conversæ sunt; sic Christo duce baptizato, retrorsum peccata conversæ sunt, » ait S. Augustinus. Rursum Elias divisit aquas Jordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cælum, IV Reg. ii, ut significaretur quod transfusibus per aquam baptismi Christi, per ignem Spiritus sancti pateret aditus ad cælum, ait D. Thomas, III part., Q. XXXIX, art. 4.

16. BAPTIZATUS AUTEM JESUS, CONFESTIM ASCENDIT DE AQUA, ET ECCE APERTI SUNT EI COELI, ET VIDIT SPIRITUM DEI DESCENDENTEM Sicut COLUMBAM, ET VENIENTEM SUPER SE. — Lucas, cap. III, 21, addit : « Jesu baptizato et orante apertum est cælum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba super ipsum. » Unde patet non vi baptismi Joannis, sed merito humilitatis et orationis Christi apertum esse cælum, et descendisse Spiritum sanctum super eum; orationi enim et orantibus insinuat se Spiritus sanctus.

CONFESTIM. — Refer hanc vocem magis ad sequentia, utpote « aperti sunt ei cœli, » etc., quam ad « ascendit de aqua. » Nam Christo egresso ex aquis, statim aperti sunt cœli; unde Marcus, cap. i, 9, ait : « Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos. »

ET ECCE APERTI SUNT EI COELI. — Marcus : « Vidit cœlos apertos. » Vidit, scilicet ipse Jesus : non dubium quin et Joannes id ipsum viderit ac cœteri qui aderant, utpote propter quos hæc fiebant. Unde Matthæus ait : « Aperti sunt ei, » id est propter eum; cœli, puta in ejus gratiam et honorem visi sunt apertiri, idque ad hoc : primo, ut vox Patris de cœlo labens : « Ille est Filius meus dilectus, » Christi dignitatem Joannis dignitate majorem significaret; secundo, ut indicaret Deus per Christum cælum omnibus apertiri, ita S. Chrysostomus; tertio, ut vis cœlestis baptismi innumeretur, scilicet per eum homines carnales fieri spirituales et cœlestes, ac per eum ad cælum vocari et quasi manu duci. Ita S. Thomas, III part., Q. XXXIX, art. 3.

Quæres, quomodo Christo aperti sunt cœli? Respondetur cœlorum soliditatem non fuisse realiter apertam, et discissam (hoc enim naturaliter est impossibile, supernaturaliter est superfluum: non etiam cœli aperti fuere per solam visionem imaginariam, uti aperti sunt Ezechiel, cap. i, 1.) sed quod in suprema aeris regione sensibiliter visus fuerit quidam hiatus, seu species aperture sensibilis, ex quo columba æque ac vox Patris de cœlo Christo labi videretur, ita scilicet ut partes aeris extremæ densiores viderentur, eo modo ut ad illas terminari posset visus; aer autem interjectus maneret rarus, nec videretur, sed appareret quasi hiatus lucidus, sive vacuum quoddam, et apertura radios vibrans in Christum. ex qua columba cum voce descendit in Christum.

Hæc enim artem pictores solent pingere et representare hiatum. Omnia enim hic sensibilia fuerunt. Ita Euthymius, Jansenius et Suarez, III part., Q. XXXIX, art. 3. Tales hiatus sæpe apparent in aere, de quibus Aristoteles in *Meteoris*.

Addit notus Hieronymus Prado, in cap. v *Ezech.*, 1, ad illa : « Aperti sunt cœli, » per fulguræ et coruscationes visum fuisse quasi ætherem dividi et apertiri, indeque vocem Patris quasi tonitruum erupisse. Semper enim tonitru misceatur cum fulgure, imo fulguris est causa, eisi post fulgur audiatur, quia auditus tonitru tardior est visu fulguris, eo quod objectum visus citius producat speciem sui, quam sonus; visus enim omnium sensuum est subtilissimus et celerissimus, idque factum esse ad hoc, ut populus fulminis fulgore et tonitru terrore exclaretur ad audiendam vocem Patris de cœlo : « Ille est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » Favet illud *Psalm.* xxvii, 3 et 6, in sensu allegorico. Et *Psalm.* lxxvi : « Alluxerunt coruscationes tuæ orbem terre. » Sic apud poetas æther vel cælum apertiri, dividi, scindi, rumpi, idem est quod fulgurare. Ita Ovidius, II *Fastor* :

Hinc tonat, hinc missis abruptum ignibus æther.
Silius Italicus, lib. I :
— raptoque polo micat ignibus æther.
Statius, lib. I *Thebaid* :
— Abrupta tremiscunt
Fulgura et atribus subita face rumpitur æter.
Manilius, lib. I :
— Et cælum fulmine ruptum.

Simili modo vidit S. Stephanus, dum lapidaretur, cœlos apertos. *Actor.* vii, 35. Vide ibi dicta. Et vidit (SYTUS, *suspexit*) SPIRITUM DEI DESCENDENTEM Sicut COLUMBAM. — *Egyptius*, « Et vidit Spiritum Dei descendentem in forma columbæ. » Quæres primo, an vera et realis fuerit hæc columba, an tantum species et similitudo columbæ? Veram fuisse columbam censent S. Hieronymus, S. Anselmus et ex iis D. Thomas, III p., Q. XXXIX, art. 7; Salmeron et alii, idque est probabile; æque tamen probabile, imo probabilius est nec fuisse veram columbam, sed tantum speciem sive formam columbæ ab Angelo formatam, agitatum et motam ut in Christum descendere. Ratio est, quia id indicant omnes Evangelistæ; nam Matthæus ait : « Sicut columbæ, » Marcus : « Tanquam columbæ, » Joannes, cap. i, 22 : « Quasi columbæ, » Luca, cap. iii : « Corporali specie sicut columba. » Erat ergo species et similitudo duntaxat, non veritas columbæ; nec enim vera columba opus hic erat, sed similitudine ad symbolicam significationem, ut scilicet per speciem et symbolum columbæ designaretur dolus Christi, quas mox recenseto. Simul

An veritas columbæ realis baptizatus Christi.

modo « celi aperti sunt, » non realiter, sed per apparentiam et spectrum duntaxat, uti paulo ante explicui. Ita censent S. Augustinus, ep. 102; S. Ambrosius, lib. I de Sacram., cap. v; S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Lyranus, Cajetanus, Jansenius hic; Abulensis, Quæst. LXXXIV, LXXXV; Suarez, fil. p., Q. XXXIX, art. 7.

Instabis: Fuitne ergo hoc phantasma et mantastica columba? Respondetur: Minime; fuit enim verum solidumque corpus, habens formam columbe, ut docet S. Augustinus, De Doctrina Christiana, cap. XXII, non assumptum hypostaticæ a Spiritu sancto, sicut humanitas Christi assumpta est a Verbo, uti videtur sensisse Tertullianus, lib. De Carne Christi, cap. ut, sed tantum Spiritus sancti index et symbolum, quia columba est avis mansuetissima, simplicissima, innocentissima, foetidissima, summe amabilis et zelotypa: talis pariter est Spiritus sanctus, qui hanc suam mansuetudinem, simplicitatem, innocentiam, foetiditatem, charitatem et zelum animæ Christi a primo conceptionis ejus instanti perfectissime indiderat, idque nunc externo hoc signo jam a se factum esse duntaxat significabat. et publice toti populo declarabat.

Quæres secundo, cur Spiritus sanctus in Christum descenderit specie columbæ, in Apostolos vero specie ignis et linguarum ignearum? Act. II.

Respondet primo S. Chrysostomus, quia Christus venit in carnem et mundum mansuetus ut columba, ad remittendum peccata et solvendum peccatores. In die vero judicii veniet ut severus iudex, puniturus impios per ignem. Rursum et magis ad litteram: Apostolis datus est Spiritus sanctus specie ignis, quia eis indebat fervorem et ardorem prædicandi, ait S. Augustinus, tractat. VI in Joannem.

Secundo, quia columba optime representat Spiritum sanctum septuplicem, sive septem ejus dona, que Christo infudit, uti prædixit Isaias, cap. XLII, 2, dicens: « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. » Hæc enim omnia apposite notantur per columbam. Nam, ut explicat S. Thomas, III part., Q. XXXIX, art. 6, ad 4: primo, columba seorsu fluentia aquarum moratur, in iisque quasi in speculo aspiciet accipitrem, eoque viso fugit, per que signatur donum sapientiæ: secundo, columba meliora grana in ovulo seligit; ece donum scientiæ: tertio, columba alienos pullos nutrit; ece donum consilii: quarto, columba non lacerat rostro; ece donum intellectus: quinto, columba caret felle et bile; ece donum pietatis: sexto, columba nidificat in petris; ece donum fortitudinis: septimo, columba pro cantu edit gemitum; ece donum timoris quo Christus et Sancti gemunt pro peccatis, vel suis, vel alienis,

Septem
Spiritus
sancti do-
na in co-
lumba si-
guran-
ter.

Tertio, columba symbolum est reconciliatio- nis et reparationis mundi quam Spiritus sanctus fecit per Christum: unde ejus symbolum fuit columba afferens ramum virentis olivæ ad Noe, per hoc significans cessasse diluvium iramque Dei, ac societatem terræ redditam, et pacem hominibus, Genes. ix, 12. Ita S. Chrysostomus.

Quarto, columba, quia est avis amabilis et Gregalis, notat unionem et societatem fidelium in Ecclesia, quam efficit Spiritus sanctus per baptismum Christi. Ita D. Thomas loco jam citato. Denique columba candida est, suavi odore pascitur ac mire pullos amat. Sic Christus candidissimus est, virtutum odore pascitur ac filios suos amat intime.

Hæc de causa Spiritus sanctus uti hic in Christum, ita in Christianos insignes, sæpe specie columbæ descendit, ac præsertim Doctores, Episcopos et Pontifices Ecclesiæ auctoravit et quasi consecravit. S. Eleucadius, sancti Apollinaris, Ravennatum apostoli, discipulus, columba in caput ejus advolante, Episcopus Ravennatum ordinatus est, qui sanctitate illustris migravit in cœlum anno Domini 415. Ita Philippus Ferraricus in Catalogo Sanctorum Italiæ.

Sic et columba in caput sancti Aderiti coram clero devolans, eum designavit sancti Apollinaris successorem, et secundum Ravenne Episcopum.

S. Marcellinus pariter columbæ indicio, ejusdem urbis Episcopus designatus est anno Domini 230. Ita Hieronymus Rabesus in Histor. Ravenne, et Philippus Ferraricus in Catalogo Sanctorum Italiæ.

S. Fabianus, per columbam capiti incumbens, in Romanum Pontificem electus est.

S. Gregorio libros scribens visus est Spiritus sanctus specie columbæ in aurem suggerere ea que scriberet.

S. Basilius, qui in eodem Jordane, in quo Christus baptizari voluit, missam celebrans, coelesti circumdatus luce, jussit confici columbam ex auro puro, in eamque partem hostiæ consecratæ reposuit suspenditque eam super altare, idque in specie columbæ illius que apparuit in Jordane Christo baptizato, ait Amphiloehus. Additque S. Ephrem vidisse Spiritum sanctum in specie columbæ ignis incumbere S. Basilio, ideoque exclamavisse: « Vere columba ignis Basilius, vere Spiritus sanctus loquitur per os ejus. »

Flavianus Patriarcha, jussu Angeli ordinem S. Joannem Chrysostomum eumque sacerdotem consecrans, vidit albam columbam in caput sancti Joannis devolare, uti refert Leo Augustus in ejus Vita, et ex eo Baronius, anno Christi 436, num. 7.

Hæc de causa Mahometa impostor columbam condecefcit et assuefecit, ut advolaret ad aurem suam, veniendo in aure

Colum-
ba aere
ravit &
plurima
exempla
S. Basii
causis.

zomedret columba, ut hæc ratione populo persuaderet sibi familiarem esse Spiritum sanctum, eumque sibi suggerere suam legem, et dicere Alcoranum, imo secretissima Dei consilia revelare. Idem effecit, ut columba schedam ad se afferret, in qua aureis litteris scriptum erat: « Quicumque taurum domuerit, rex esto. » Ipse autem taurum quem antea putraverat, facile edomuit, ideoque a stalla plebe rex est salutatus. Ita habent auctores Vitæ Mahometis.

ET VENIENTEM SUPER SE. — Græco est τὸ καθῶν, id est super eum, q. d. Joannes vidit Spiritum sanctum specie columbæ descendentem super caput Jesu illique insidentem. Noster τὸ καθῶν accepit pro τῶν; Hebræi enim idem habent pronomen absolutum et reciprocum; hinc τὸν αὐτόν, tam super se, quam super eum significat. Utrumque verum, utrumque appositum. Unde Joannes postea aliis et aliis turbis ad ejus baptismum affluentibus Christum demonstrans, dixit: « Quia vidit Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum, » Joan. I, 32. Insedit ergo columba hæc sacro Christi vertici, eumque esse Messiam, Ecclesiæ Doctorem et Salvatorem toti declaravit et quasi promulgavit. Hinc Christus et Ecclesiæ, animæque sanctæ, sunt quasi columbus et columba, juxta illud Cantici, VI: « Una est columba mea, perfecta mea. » Vide ibi dicta.

Apposite plique S. Bernardus, serm. 1 De Epiphania: « Ne incongrue, ait, ad indicandum agnum Dei venit columba, quia nihil melius agno convenit, quam columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia, sicut agnus et columba? Nocere cuiquam nesciunt, ledere non noverunt. »

47. ET ECCE VOX DE CÆLIS DICENS: HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI COMPLACUIT. — EX coelis apertis et coruscis lucida columba dilapsa est in caput Christi, dumque in eo consistit, ex iisdem dilapsa est vox: Hic est Filius meus. Vox hæc symbolum columbæ explicabat; columba vero ad Christum, cui ipsa insidebat, vocem ferri et terminari significabat, non ad Joannem vel quem alium: utroque ergo signo opus fuit ad declarandum orbi Christum. Vox hæc « in personam Patris Angelorum ministerio efformata fuit, » ait Victor Antiochenus, in cap. I S. Marc. Hic primum orbi revelatur mysterium S. Trinitatis, quod Judæis obscure fuerat insinuatum, dum Pater se ostendit in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in specie columbæ, ut significaretur fides S. Trinitatis jam explicanda, adeoque ejus nomine conferendus Christi baptismus: licet enim hæc omnia, puta colorum apertio, formatio vocis, descensus columbæ, utpote opera ad extra, uti loquuntur Theologi, fuerint toti S. Trinitati communia, uti docet S. Augustinus, serm.

De Temp., tamen speciatim singule persone symbolis jam dictis representabantur.

Hic EST FILIUS. — Græce ὁ υἱός, id est ille Filius Dei Patris, scilicet: pro eminentiam, puta Filius per naturam, non adoptionem, uti sunt Angeli et homines sancti, ideoque non est creatura, sed creator, Deo Patri: ipsiusque et consubstantialis, uti definitum est in Concilio Nicæno cæterisque sequentibus.

Marcus et Lucas habent alius verbis, sed eodem sensu: « Tu es Filius meus. » Et verisimile est ita dictum fuisse, tum quia duo Evangeliste in eo consentiunt, tum quia consonum erat ut, Jesu in cœlum aspiciente Patremque orante, ac Spiritu sancto in eum descendente, vox Patris quoque ad eum disregeret, eumque quasi Filium complecteretur et « compellaret, itaque toti orbi venerandum, amandum, audendum proponeret. Ita Jansenius, Melanctonus, Franciscus Lucas et alii.

DILECTUS. — Græce id est ille dilectus, id est unice et summe dilectus, per quem cæteri diliguntur, nec ullus a Deo diligitur, nisi quem ille dilexerit suaque gratia donavit; unde Syrus vertit, dilectissimus.

IN QUO MIHI COMPLACUIT. — Ita scilicet, ut tu solus, o Christe, perfectus per omnia, summe et infinite mihi placeas, ac nemo mihi placeat nisi per te, imo ut per te placeatis sim toti generi humano, cui antea ob peccatum Adæ et posterorum offensus fui. Hebr. enim רצונו רצונו, et placere et placari, sive reconciliari significat.

TU ERGO ES FILIUS MEUS DILECTUS IN QUO MIHI COMPLACUIT. — ut habent Marcus et Lucas; quia tu solus cum sis « splendor gloriæ et figura substantiæ meæ, » Hebr. I, 3, singulariter et immense ita mihi placeas, ut nihil in te displiceat, sed omnia summe placeant: tu es ille in quo ego acquiesco, in quo me pascere et oblecto: propter te omnes tui discipuli et asseclæ, puta omnes Christiani et Sancti mihi placeant. Alludit ad Noe, qui solus suo ævo placuit Deo, juxta illud: « Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, eum Deo ambulavit, » Gen. vi, 9; et cap. VIII, 20, cessante diluvio, « Noe obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. » Sicut enim Noe adeo placuit Deo, præsertim dum illi hostiam obtulit, que ita eum placavit, ut promiserit se non amplius orbem diluvio perditurum; sic multo magis Christus seipsum Deo offerens in hostiam piacularem, Deum toti generi humano placavit et conciliavit. Hæc vox Christus a Deo constitutus est publicus orbis doctor et legislator. Unde cum hæc vox repelita est a Patre in Christi transfuguratione, Matthæus, XVII, 3, addit: « Ipsum audite, » q. d. Audite Christum, qui mihi est unigenitus; non Platonem, non Apollonium, non Socratem; Christum, inquam, audite, in ipsum credite, ipsi obedite; ipse et sinu meo vobis enarrabit mea arcana, ab-

condita a constitutione mundi; ipse vobis pandet viam pacis, viam ad cœlum, viam ad felicitatem; ipse vobis evangelizabit regnum cœlorum et bona cœlestia, imo divina, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Hinc Magdalenæ sedens ad pedes Jesu, eumque assidue et intente audiens, ab eo audivit: « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. » *LUC. XI.*

Praclare S. Leo, serm. De Transfiguratione: « Hic est, ait, Filius meus, cui ex me et mecum esse, sine tempore est. Hic est Filius meus quem a me non separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est Filius meus, non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus. Hic est Filius meus, per quem omnia facta sunt. » Et mox: « Hic est Filius meus, qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec usurpatione præsumpsit, sed manens in forma gloriæ meæ, ut ad reparandum genus humanum exquereret commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem deitatem. » Unde concludit: « Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo et ejus predicatione manifestor, ejus humilitate clarificor, incontinentanter audite, quia ipse est veritas et vita, ipse virtus mea atque sapientia; ipsum audite, quem Prophetarum ora cecinerunt; ipsum audite, qui sanguine suo mundum redemit, qui vitam aperit ad cœlum et per crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum. »

Christus hic summi baptismi instituit.

Prob. Primo.

Denique valde probabile est Christum, hoc loco et tempore cum baptizaretur in Jordane, hoc ipso instituisse sacramentum baptismi eique dedisse efficaciam justificandi; necessitatem tamen ejus suscipiendi indixisse post mortem suam in Pentecoste. Ita disertè docet *primo* S. Thomas, III p., *Quæst. XXVI, art. 2*; Cajetanus et ceteri ejus sectatores, ac idipsum fuscè ibidem probat noster Gabriel Vasquez. Idem insinuat S. Augustinus, *serm. 37 De Tempore*: « Baptizatur novus homo, inquit, ut novi baptismatis constituat sacramentum. » Patres etiam communiter docent Christum suo baptismi aquas sanctificasse et eas contactu corporis ejus vim regenerativam accepisse: S. Ambrosius, *lib. II in Luc.*, cap. XXXI, et *serm. 15 et 20*; S. Hieronymus, *Dialog. contra Luciferian.*; S. Chrysostomus, *homil. 2 in Matth.*; Nazianzenus, *orat. in s. Nativitatem*, et passim Interpretes in hoc cap. III *et Matth.*, quod ita intelligendum est, non quod

aque acceperint aliquam physicam qualitatem, sed quia tunc illo facto ex intentione Christi sunt deputatæ ad sanctificandum; sicut enim aliquid instituitur verbis, ita etiam solo facto aliquid institui potest; atqui etiam tunc formam baptismi institutam et designatam fuisse credibile est, per hoc quod tota Trinitas tunc apparuit: ergo totum sacramentum tunc fuit institutum. Confirmatur, quia si Christus verbis tunc dixisset: *Volo ut homines baptizentur in aqua in nomine Trinitatis*, omnes faterentur ipsum tunc instituisse baptismum: atqui hoc ipsum dixit facto, nam hoc voluit suo facto significare. Accedit S. Chrysostomus, *homil. jam citata*, asserens quod sicut Christus in eadem mensa approbavit umbram, et addidit veritatem, quando in eadem cœna comedit agnum et instituit Eucharistiam, ita in eodem flumine conjunxit umbram et veritatem, scilicet baptismum Joannis cum baptismo suo.

Probatur secundo, quia statim initio predicationis suæ Christus per discipulos baptizabat, ut patet, *Joan. III et IV*. Ergo jam baptismus ejus erat institutus. Atqui non apparet ubi commodius potuerit esse institutus, quam cum Christus contactu sanctissimæ carnis suæ aquam consecravit et Trinitatis manifestatione formam designavit.

Tertio, quia festum Luminum apud Græcos ita celebratur, quasi tunc nostrum baptismum fuerit institutum. Vide Nazianzenum, *oratione in SS. Luminaria*. Unde in hymno illius diei canit Ecclesia: « Hodie in Jordane lavit Christus nostra crimina. » Porro hanc baptismi institutionem ipso facto a se factam Christus verbo explicavit et promulgavit, cum cepit predicare et baptizare. Unde Suarez tunc institutum fuisse baptismum opinatur. Denique baptismus Christi, licet jam institutus, non tamen obligavit homines ad eum suscipiendum usque ad adventum Spiritus sancti in Pentecoste: nam usque ad illud tempus fuit in consilio, deinceps vero fuit in precepto. Ratio est, quia in Pentecoste facta est promulgatio legis novæ, cujus initium est baptismus. Usque ad Pentecosten ergo obligavit lex vetus et circumcisio quæ tunc obligare desinit, cum successit ei lex nova promulgata in Pentecoste, *Act. II*, ut docet S. Augustinus, *epistol. 19*; S. Thomas et passim Theologi. In Pentecoste enim omnia mysteria Christi et Christianismi adimpleta fuerunt; unde tunc lex nova obligare cœpit, lex vetus vero obligare desinit, ut pote quæ novæ tantum erat typus et figura, sicut umbra desinit præsentate veritate et lumine.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit primo quadragenarium Christi jejunium in deserto, ejusque triplicem a Satana tentationem. **Secundo**, vers. 13 narrat Christum cepisse in urbe Capharnaë predicare regnum cœlorum. **Tertio**, vers. 18 Christum ad sui sequelam evocasse Petrum, Andream, Jacobum et Joannem, multosque ad Christum ob ægritudines quas sanabat, confluisse.

1. Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. 2. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. 3. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. 4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, 6. et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit deus tuum, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 7. Ait illi Jesus: Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, 9. et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. 10. Tunc dicit ei Jesus: Vade, Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 11. Tunc reliquit eum diabolus; et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. 12. Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galileam; 13. et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephtalim: 14. ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: 15. Terra Zabulon et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, 16. populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. 17. Exinde cœpit Jesus predicare, et dicere: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. 18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores), 19. et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. 20. At illi continuo relicti retibus, secuti sunt eum. 21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua; et vocavit eos. 22. Illi autem statim relicti retibus et patre, secuti sunt eum. 23. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. 24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos; 25. et secuta sunt eum turbae multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Hierosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem.

Vers. 1. 4. Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, *LUC. IV*, UT TENTARETUR A DIABOLO. — Syrus, *ab accusatore*; *14. Marc. dædæo*; enim Græcis idem est quod *accusator*; *14. 12.* *catanniator*, qualis maxime est Satanas, qui homines perpetim accusat apud Deum, ut eos sibi obsequioque potestati addicat in gehenna.

Tunc, — scilicet illico a baptismo Christi. Unde *Marcus*, cap. 1, 12, ait: « Et statim spiritus expulit eum in desertum. » Et *Lucas*, cap. IV, 1: « Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane, et agebatur a spiritu in desertum. » Unde videtur quod Christus eadem die 6 Januarii, qua baptizatus est, actus sit a spiritu in desertum, eademque die finiente et septima inchoante, inchoavit jejunium 40 dierum, ideoque illud finierit die 15 februarii. Celerrimus enim

eum in desertum. » Et *Lucas*, cap. IV, 1: « Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane, et agebatur a spiritu in desertum. » Unde videtur quod Christus eadem die 6 Januarii, qua baptizatus est, actus sit a spiritu in desertum, eademque die finiente et septima inchoante, inchoavit jejunium 40 dierum, ideoque illud finierit die 15 februarii. Celerrimus enim

Christus cepit jejunium die 6 Januarii.